



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Sententia Durandi. c. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

bet id, quod ad Theologū pertinet, scilicet Deum esse bonum. Quoniam vero ex iis, quæ dicemus, patebit, non parum aliquem errare posse in assignanda ratione bonitatis in Deo, si eam in vniuersum ignorauerit, idcirco ea, quæ ad hanc Theologicam veritatem cōducere videbuntur, quamuis philosophica sint, in quæstionem reuocare necessarium duximus.

ARTICVLVS I.

Vtrum bonum differat secundum rem ab ente.

25
1. dist. 8 q. 1.
art. 3. Et vniuersum q. 21.
art. 1. c. 8.
art. 8.
In lib. An omne quod est bonum sit circa modum illius.

AD primum sic proceditur. Videtur quod bonum differat secundum rem ab ente. Dicit enim Boetius in libro de hebdoma. Intueor in rebus aliud esse quod sunt bona, & aliud esse quod sunt: Ergo bonum, & ens differunt secundum rem.

2. Præterea, Nihil informatur seipso: sed bonum dicitur per informationem entis, ut habetur in comment. lib. de causis: Ergo bonum differt secundum rem ab ente.

3. Præterea, Bonum suscipit magis & minus: esse autem non suscipit magis, & minus: Ergo bonum differt secundum rem ab ente.

Sed contra est, quod Augustinus dicit in libro de doctrina Christi. quod in quantum sumus; boni sumus.

Respondeo dicendum, quod bonum, & ens sunt idem secundum rem, sed differunt secundum rationem tantum: quod sic patet. Ratio enim boni in hoc consistit, quod aliquid sit appetibile: unde Philosophus in 1. Ethicorum dicit, quod bonum est, quod omnia appetunt: manifestum est autem, quod vnumquodque est appetibile secundum quod est perfectum: nam omnia appetunt suam perfectionem. In tantum est autem perfectum vnumquodque, in quantum est actu: unde manifestum est, quod in tantum est aliquid bonum, in quantum est ens: esse enim est actualitas omnis rei, ut ex superioribus patet. Unde manifestum est, quod bonum, & ens sunt idem secundum rem: sed bonum dicit rationem appetibilis, quam non dicit ens.

Ad primum ergo dicendum, quod licet bonum, & ens sint idem secundum rem: quia tamen differunt secundum rationem, non eodem modo dicitur aliquid ens simpliciter, & bonum simpliciter. Nam cum ens dicatur aliquid proprie esse in actu: actus autem proprie ordinem habeat ad potentiam: secundum hoc simpliciter aliquid dicitur ens, secundum quod est primo discernitur ab eo, quod in potentia tantum: hoc autem est esse substantia-

ARTIC. I.

le rei vniuersiusque: unde per suum esse substantiale dicitur vnumquodque ens simpliciter: per actus autem superadditos dicitur aliquid esse secundum quid: sicut esse album significat esse secundum quid. Non enim esse album aufert esse in potentia simpliciter, cum adueniat rei iam præexistenti in actu. Sed bonum dicit rationem perfecti, quod est appetibile, & per consequens dicit rationem ultimi. Unde id quod est ultimo perfectum, dicitur bonum simpliciter: Quod autem non habet ultimam perfectionem, quam debet habere, quamuis habeat aliquam perfectionem in quantum est actu, non tamen dicitur perfectum simpliciter, nec bonum simpliciter, sed secundum quid. Sic ergo secundum primum esse, quod est substantiale, dicitur aliquid ens simpliciter, & bonum secundum quid, id est, in quantum est ens: secundum vero ultimum actum dicitur aliquid ens secundum quid, & bonum simpliciter. Sic ergo quod dicit Boetius quod in rebus aliud est quod sunt bona, & aliud quod sunt, referendum est ad esse bonum simpliciter, & ad esse simpliciter: quia secundum primum actum est aliquid ens simpliciter: & secundum ultimum bonum simpliciter, & tamen secundum primum actum est quodammodo bonum, & secundum ultimum actum est quodammodo ens.

Ad secundum dicendum, quod bonum dicitur per informationem prout accipitur bonum simpliciter secundum ultimum actum.

Et similiter dicendum ad tertium, quod bonum dicitur secundum magis, & minus secundum actum superuenientem, puta secundum scientiam, vel virtutem.

Conclusio est, Bonum, & ens sunt idem secundum rem, sed bonum includit rationem appetibilis, quam non habet ens. Quia conclusione S. Doctor manifeste indicat, hæc duo sola ratione distingui.

DISPUTATIO XXIII.

Quæ sit formalis ratio boni vniuersim, & quo pacto Deo conueniat.

Sententia Durandi, cap. 1.
Refutatio præcedentis sententia, cap. 2.
Dua alia sententia de eadem re, cap. 3.
Prior pars verioris sententia, cap. 4.
Posterior pars verioris sententia, cap. 5.
Quedam oppositiones contra prædict. cap. 6.
Corollaria præcedentis doctrina, cap. 7.

CAPVT I.

Sententia Durandi.

Cum in hoc art. vera ratio, & definitio bonitatis nobis tradatur, ex qua colligere debemus Deum esse bonum, entendum nobis est, ita

*Titulus huius
libri est,
An omne
quod est bonum,
sit circa
modum illius.*

*In princip.
Ethic. tom. 5.*

*q. 3. art. 4.
& quest. 4.
art. 1. ad 3.*

fra dilucide eam exponere, vt cetera omnia, quæ ad Dei bonitatem spectant, perspicua fiant. Ne autem iterum eadem repetamus, explicantes naturam boni in vniuersum, simul etiam ostendamus, quæ ratione Deus bonus sit. Iam igitur more solito singulorum de hac re opiniones expendamus. Prima vero sententia sit Durandi in 2. d. 34. q. 1. n. 22. vbi postquam late impugnauit opinionem Heruæi, in explicationem suam duo docet. Primum est, bonitatem, seu rationem formalem boni in quacunque entitate esse relationem conuenientie, non cum appetitu, vt quidam imponunt Durando, sed cum alia re: cumque asserat bonitatem esse entitatem quandam respectivam, sentit esse realem relationem, vt dilerte quoque affirmat eadem quæst. n. 11. In Deo tamen hanc relationem conuenientie, qua dicit esse bonum, putat esse extrinsecam denominationem, sicut est denominatio creatoris. Addit postremo, in rebus creatis non eodem modo reperiri bonitatem. Quibusdam enim intrinsece, & primarie inesse existimat, ijs nimirum, quæ intrinsece alicui conueniunt, aut secundum habitudinem, causæ materialis, vel formalis, aut partis integritatis, aut demum formæ etiam accidentarie inharerentis: alijs vero rebus secundarie, & extrinsece, ijs videlicet, quæ bona dicuntur, quia alteri optime conueniunt, vel congruunt, vel per modum causæ efficientis, vel alicuius extrinsecæ conditionis. Priori modo sanitas dicitur intrinsece bona homini; anima etiam, materia, & partes ipsius. Posteriori modo medicina est bona ægrotanti, per modum causæ efficientis; & vrina, per modum signi.

Primo quidem bonitatem esse quid reale, numero illo colligit Durandus ex Arist. 6. met. c. 2. text. 8. vbi inquit bonum, & malum esse in rebus, sicut verum, & falsum in intellectu. Secundo esse relationem conuenientie, probat, quoniam ratio formalis boni idem est, quod ratio conuenientis: ratio autem boni est bonitas, ergo bonitas est ratio conuenientis, quæ cum nihil sit aliud, quam relatio conuenientis, merito quoque ipsa bonitas dicitur relatio conuenientie. Tercio relationem hanc conuenientie Deo, & quibusdam rebus creatis extrinsece tantum tribuendam esse sic ostendit. Ratio conuenientie eodem modo in rebus est, sicut ipsæ alijs conuenire, & congrue dicuntur: sed Deus extrinseca tantum denominatione dicitur rebus creatis conuenire, & res etiam creatæ alijs rebus creatis: ergo bonitas in Deo, & in quibusdam creaturis nihil est aliud, quam extrinseca relatio conuenientie, quam in Deo putat esse ad creaturas. Denique eadem ratione probatur, quibusdam alijs rebus creatis bonitatem intrinsece conuenire, sicut supra probatum est. Hæc est prior pars sententiæ Durandi.

Deinde asserit eodem num. 22. bonum, & ens reciprocari, non essentialiter, sed denominatiue; id quod ex priori parte plane deducitur. In cuius expositionem supponendum est, ex doctrina Heruæi, bifariam aliqua reciprocari, quod & ipse Durand. supponit in ea q. 1. n. 9. primum essentialiter, quoties vnum est, dem formaliter, & essentialiter cum alio, sicut realitas, & entitas, & in vniuersum, quæ solo nomine differunt, & synonyma sunt, vt ens, & gladius: deinde denominatiue, quoties duo ita se comitantur, vt vnum sine alio non sit, vnum tamen non sit aliud formaliter, & essentialiter, vt aqua, & vinum in 1. parti. Tomus I.

liter, sicut homo, & risibile. Quocirca in eorum sententia rationale, & homo reciprocantur denominatiue, non essentialiter: Quia homo aliquid aliud præter rationale includit, ac proinde cum illo non est idem adæquate. Ideo autem hoc genus conuersionis denominationum dicitur, quia vnum de alio instar accidentium in concreto prædicatur denominando illud; eodem enim modo videmus dicere, homo est rationalis, atque, homo est albus; cum tamen dici non possit, homo est rationalitas. Contra vero in ijs, quæ essentialiter conuertuntur, & in abstracto, & in concreto mutua consequentia vnum ex alio inferitur, & prædicatur: atque ideo dicimus, si res est, ens est, & contra; similiter si realitas est, entitas est, & contra.

Hoc iacto fundamento, probat Durand. in ea quæst. 1. n. 11. hanc posteriorem partem suæ sententiæ hoc modo. Illa essentialiter conuertuntur, quæ non differunt vlllo modo re, neque ratione: ens autem, & bonum, entitas, & bonitas ratione differunt: Ergo non conuertuntur essentialiter. Eorum vero differentia patet: nam alioqui dicere ens bonum, esset inutilis eiusdem repetitio: sicut si aliquis diceret, ensis gladius: essetque ens, & bonum synonyma, sicut ensis, & gladius, quod est absurdum. Tum etiam entitas in sua ratione non includit relationem conuenientie, quæ est ipsamet ratio bonitatis, ac propterea bonitas de entitate abstracte non prædicatur.

CAPVT II.

Refutatio precedentis sententiæ.

Hæc opinio Durandi, quoad posteriorem eius partem, si recte intelligatur, vera est, vt inferius apparebit: quoad priorem vero, mihi non probatur: Quocirca, quæ in ea falsa videntur, paucis impugnabo. Primo igitur, quod asserit, bonitatem esse relationem conuenientie, sic refellitur. Si bonitas, quæ est passio entis, esset relatio illa conuenientie, sequeretur Deum non esse in se formaliter bonum ex eo quod in se, & ad se perfectus sit, sed ex eo quod ordinem habeat ad creaturas: quare non prius in se bonus esset, quam intelligerentur creaturæ possibiles, quibus tantum bonus esset; ac proinde natura Dei in se non esset bonitas ipsa, sed bonitatem haberet pendentem ex creaturis possibilibus. Respondet Durandus in ea quæstio. 1. num. 26. Deum quidem non esse bonum nisi per ordinem ad creaturas: nihilominus non habere bonitatem pendentem ab illis: si dicat, eam non habere communicatam a creaturis, sed relatam tantum ad ipsas: Et ita concedit hanc propositionem: Bonitas Dei pendet ad creaturas; quia hoc modo loquendi solus ordo, & relatio ad creaturas significari sibi videtur: negat tamen hanc propositionem. Bonitas Dei pendet a creaturis; quia ea denotarivideretur aliqua origo, & derivatio bonitatis Dei à creaturis. Absurdum autem non est aliqua Deo concedere per ordinem ad creaturas: quo pacto multas perfectiones ei tribuimus: Est tamē omnino falsum asserere, aliquā Dei perfectionem à creaturis derivare.

Verum hæc doctrina Durandi difficultatem argumenti propositi non dissoluit: neque enim ex eius sententia tanquam absurdum inferimus, Deum mendicare bonitatem à creaturis: Hoc namque, vt optime ipse notauit, nulla ratione colligitur.